Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 505
Quelle:
Copyright:

Cap. 18. lacunam habet, Librario in margine monente: *Multum deest*; sunt vero 6. circiter lineae a verbis: *Miserum te inquit*, ad verba: *sed quantum potuerit grauissime;* in graecis denique, quae sub finem occurrunt, quorumque interpretatio cubat in margine, non pauca corrupta sunt. Ad calcem hujus Libri continuo

Fol. 33. *Incipiunt Capitula libri Firmiani lactantij de opificio dei uel formatione hominis.* Censentur XXI. cujus rationem mox reddam. Initium, ut alias: *Quam minime sum* (sim) *quietus etiam* (et in) *summis necessitatibus* &c. *Caput* 3. nobis incipit: *Unde ego philosophorum* &c. quae in Edit. *Paris.* 1748. T. II. p. 76. revocantur ad C. 2. usque ad verba: *Queruntur hominem nimis imbecillum.* C. 19. post verba: *quo uitam posset adipisci*, insertus est nobis spurius ille Locus, quem Editores *Paris.* p. 123. in *Notis* referunt, quique nobis a verbis: *Ante omnia diuersitatem uoluit esse* &c. *Caput* 20. constituit inscriptum: *Cur deus dedit spiritum temptatorem;* unde necessario *Capita* XXI. conficiuntur. Ad calcem invenies: *Bntpnkxs df Crkxstlks dfk grbtkb scrkpskt bxnc Ikbrxm dkf XII kbnxbrkk* 1433. et observato artificio leges: *Antonius de Crivellis dei gratia scripsit hunc librum die* XII. *Januarii.* Adpicta fronti Insignia Regni *Castellae* haberi possent, nisi Castelli Porta rubra, area vero caerulea foret.

CCLXXX.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. R. 1670 Folior. 249. f. probe in Italia descriptus, rubricis distinctus et prius *Bibliothecae Civicae Vindob.* complectitur I. *L. Caecil. Firm. Lactantii Libros VII. Divinar. Institutionum* a nobis saepius utroque *Vol.* indicatos, quorum Primus incipit: *Magno et excellenti ingenio uiri* &c. Adcuratum est non ab uno Exemplar; plures enim manus distinguas, quae in marginibus Argumenta, Lemmata, Notulas adjecere. Una earum variam etiam Lectionem subfecit, non semper observatam *Parisinis* quoque *Lactantii* 1748. Editoribus. Ita in *Praef.* ubi habetur: *cogitatio assequeretur humana*, addit: al. *cognitio.* Item: *ob insitam sibi austeritatem*, al. *auctoritatem.* Cap. V. φαντα *apparentem nominat*, al. *illuminatorem.* Item *concipere animo*, al. *conspicere.* Item *praestantissimam potestatem*, al. *potentem.* Item *eguerit auctore*, al. *genuerit auctorem.* Item *infusa per artus*, al. *effusa.* et sic ulterius plura, quorum quaedam expendi merentur. Ad calcem adjecta sunt honorifica *Lactantio* testimonia *Hieronymi*, *Augustini*, et *Laureati de Officio Religiosorum*, cujus postremi locum exscribo: *Lactantius firmianus et ipse uir magnus in eo libro, quo gentilium erroribus exarmatis fidem nostram, quantum quiuit, armavit, omnemque hanc deorum scenam mirabili et laudabili curiositate detexit. In eo opere Augustino et alijs sequentibus*